
ADISLAO·
IV·
ONIAE·
C·REGI·
Lazarus Baldus del: C Bloemaert sculp

Digitized by Google

SERENISSIMO AC POTENTISSIMO

IOANNI CASIMIRO

REGI POLONIAE

ET SVECORVM GOTHORVM VANDALORVMQVE
HEREDITARIO REGI

Magno Duci Lithuaniæ, Ruſſiæ, Pruſſiæ, Maſouiæ, Samogitiæ, Volyniæ, Chiouiæ, Liuoniæ, Smolenſciæ, Czernichouiæ.

GVLIELMVS DONDINVS
Felicitatem.

SISTO MAIESTATI TVÆ orationem à me in parentalibus VLADISLAI IV. ad INNOCENTIVM X.P.O M., & carmen in MAIESTATIS TVÆ inaugurationem dictum, in auditorio Collegij Romani maximo, ad coronam ſedecim Principum Purpuratorum. Plauſum funebrem, cum gratulatione triumphali coniunximus, veſtri ampliſſimi regni ritum ſequuti, vbi modico temporum interſtitio, extinctus Rex ad tumulum, ſucceſſor effertur ad ſolium. Viſum quoq; eſt intereſſe reipublicæ, non ante memoriam amiſsæ Maieſtatis renouare, quam TE inauguratum Regem, glorioſum ſolatium haberemus. Sic non refricabitur ſine fom nto cicatrix, & doloris morſu carebit, quia deſiderio caret, iucunda VLADISLAI Regis recordatio, Fraternæ virtutis magnitudinem non minus, quam diadematis, auguſto capite Tuo implente. Agnoſcent Poloni excelſiſſimi Regis imaginem in orationem noſtram ſtylo transfuſam, quemadmodum ſpirantem illum videntur intueri in vita, & moribus Tuis. Quamquam TE quoque, Tuaſq; laudes illius laudibus, factiſq; confuſas mirabuntur, quandoquidem nihil ferè magni Frater ſine TE geſſerat, cum TIBI contra ſine illo Principatus Tui curriculum ſuperſit, metiendum veſtigijs æternitatis. Conſilia MAIESTATIS TVÆ ad Poloniæ gloriam, et Chriſtianæ Rei propagationem intenta fortunet Deus.

Digitized by Google

VLADISLAI IV.
POLONIAE
AC
SVECIAE
REGIS
LAVDATIO FVNEBRIS

Habita in Sacello Pontificum Quirinali

AD S. D. N.
INNOCENTIVM X.

A GVLIELMO DONDINO BONON.
E SOC. IESV.

Digitized by Google

Digitized by Google

Caroli Seueroli .a.

LAVDATIO.

SI qua ſunt funera, quæ cum lacrymas irritent magis, minus lacrymis proſequi deceat B.P. has eſſe cenſeo clarorum Principum mortes, qui propugnata Religione, ac Republica in terris, abeuntes in Cœlum, ſecum amores humani generis abſtulerunt. Quorſum enim lætisſimam illorum ſortem noſtro mœrore, lacrymiſque minuimus, quorum meliorem partem animum ſua immortalitas excipit, alterà deteriore corporis viuendo iam feſsà Mauſoleis in longisſimam quietem traditâ, amborum vices obitura fama conſurgit, eó viuacior, quòd neque inuidiæ morſum timet expirantis extincta virtute, & deſiderio animatur populorum, qui monumentis, imaginibus, laudationibus, bonos Principes inſatiabiliter requirunt. Quamobrem cum Vladislaum Poloniæ, ac Sueciæ Regem clariſſimis noſtræ Religionis Imperatoribus, & Regibus coæquandum nuper Chriſtianus orbis amiſerit, errat longisſimè ſi quis illi ſepulchrales pompas adornat, & luctus, non etiam gratulationes, & plauſus, aut funus, ac leſſum potius, quam pœanas concinit, & triumphos.

Clarorum Principum obitus non lugendi.

Quorum animi viuunt in Cœlo.

Gloria in Terris.

Ex ijs Clariſſimus Vladisl. Rex. Pol. & Suec.

In quo Principe cùm duo notanda ſint tem-

Digitized by Google

Partitio ante Regnum & in Regno.

pora, alterum Regni, alterum quo priuatus priuato maiorem egit ſub Sigiſmundi Patris auſpicijs: vtroque tempore VLADISLAVM tàm diſſimiles partes, tàm egregiè ſuſtinuiſſe confirmo, vt, & appetendus purpuræ videretur, priuſquam regnaret, neque meliorem votis optari poſſe iudicarent, vbi imperauit, ingentem aduerſariam expectationem populorum, quam æquare arduum eſt, ſuperante virtute.

Vladislaj nobilitas.

Magna commendatio eſſe ſolet heroibus ad ſceptra deſtinatis naſci de Regibus. Quamuis enim virtus moderetur regna non ſanguis, in regio tamen ſanguine virtus, & pulchrior ſoboleſcit, & fortior. Sed quis VLADISLAO Rege ſplendore natalium clarior, cuius paterna, & auita decora ſi requiras, numeroſum ordinem Ducum recenſet, ac Regum, & præſertim ſacrum Polonis Iagellonùm ſanguinem ab auia Catharina Sigiſmundi Primi filia deductum: Si Maternam Auſtriaci generis claritatem deſideres, Archiducum, & Cæſarum Senatum adiungit: Sin cœleſtem virtutis progeniem cenſere malis, affert in Henricis, & Brigittis in Heduigis, & Caſimiris, & Rodulphis inuocatam templis, & altaribus ſanctitatem. Vt ſileam par Auguſtiſſimum Coniugum, Patrem Sigiſmundum, & Annam Auſtriacam Matrem: Illum tam religioſum fidei cultorem, vt ſacerdotem

Sigiſmũdus 3. & Anna Auſtriaca parentes Vladislai eximiæ ſanctitatis Principes.

age-

agere inter Reges videretur, propugnatorem tam aſſiduum, vt quinque ſupra quadraginta regni annis nunquam exutà loricà Moſchicum ſchiſma, Mehemeticam ſuperſtitionem, prauitatem Hæreticam, victoriarum numero, & multitudine obruerit: Hanc Ferdinandi Secundi ſororem, in quo nomine virtus triumphat, modò in pauperes tam indulgenter effuſam, vt ſæpè duodenis ad menſam Seruatoris exemplo regalia manciparet obſequia; modò ſexum egreſſam magiſtralibus curis, cum puellarum gregi fidei elementa tradens ad concinendas Dei laudes voce præiret, & crucis figuram in telis manu tenera pollice ductore formaret.

Sed iniuria fuerit VLADISLAI virtutum, parentum, vel auorum gloriam in eius laudatione commemorare, qui transfuſos in ſe vnà cum ſanguine omnes Gothorum Regum ſpiritus, & Iagellonios, & Auſtriacos repræſentaret, maioribus ſuis maiorem quam acceperat lucem refundens; quam luculenter illius flammæ prodigium adumbraſſe videatur, quæ velut olim Magni Macedonis ortum incendio Epheſini templi, ita Poloni Principis natalem noctem regij conflagratione palatij in Vrbe Cracouia Regni Principe illuminauit. Nec defuere pro ſyderibus cœleſtes arbitri genituræ. Nam Pri-

Regale Palatium Cracouiæ inflammatur nocte, qua natus Vladisl.

mi, & Feliciani fortiſſimorum Chriſti militum memoriæ poſtera lux conſecrata VLADISLAVM primum inter ſæculi ſui Reges virtute ac felicitate futurum augurabatur. Grande indolis regnaturæ, documentum fuerit, quòd adoleſcens in Principem externæ, inimicæq; nationi placuerit, Moſchis legatione ſolemni VLADISLAVM Magnum Moſchouiæ Ducem renuntiantibus. Semper eſt magnum eligi in Principem maius ab hoſtibus: Nam ſi exaggeratæ virtutis eum eſſe oportet, quem ciues ſuis imponere ceruicibus velint, quem hoſtes dominum non recuſant Deo virtute accedere neceſſe eſt. Et ſanè Moſchuà Regià Vrbe Polonis traditâ, vniuerſa Regni nobilitate in VLADISLAI verba iurante, facilè Moſchouia in vnum Imperium cum Polonia coaluiſſet, ſi coagmentatio iſta Regnorum ſeriò Polonæ Reipublicæ placeret. Sed timuit prudentiſſimus Senatus magnitudinem ſuam, ne quemadmodum in animante, creſcente in immenſum corpore, vita decreſcit, ita è tot diuerſis, tamq; diſcordibus fide, more, genioq; nationibus conflatum vnum Reipublicæ corpus, malè vna legum anima regeretur. An edoctus fortunæ nimis obſecundanti non credere exemplo Romanæ Reipublicæ, cui ſublata æmula Vrbe, pro calamitate fuit ſumma fœlicitas, voluit ſu-

die ſequenti Primo, & Feliciano martyribus Sacra.

Adoleſcens 15. annorum eligitur Princeps à Moſchis, inimica Poloniæ gente.

Polona reſp. remiſſiùs huic electioni fouet

pereſ-

pereſſe Poloniæ, Carthaginem, quam timeret? An ſui Regis filios optari, Principes ab exteris gentibus glorioſum quidem Poloni putauerunt, ſed conducibilius, ſibi ſua firmamenta Regni, & ornamenta retinere? An VLADISLAO ipſi conſultum Superi voluere, ne feris gentibus, ſed hominibus imperaret? cum præſertim tantum bellicæ gloriæ ſub illius auſpicijs Poloniæ deſtinarent.

Oſmanem Turcarum Tyrannum indole, ac iuuenta præferocem inſtigauerat in Poloniam Bethlemus Gabor Tranſyluaniæ Princeps iratus Sigiſmundo Regi, quòd Auſtriacis ſecum bellantibus, arma, & militem commodaſſet: quibus ab iniqua Hungarici Regni poſſeſſione detractus eſt, in quam ſe cupidisſimè immiſerat, implicato Bohemicis turbis Ferdinando. Exacto inter apparatus, & meditamenta belli ſexennio, cum delectum omnibus vaſtisſimi Imperij Prouincijs imperauiſſet, cum Aſia, atq; Europa commeatum, & militem, peregrinas Africa belluas ad magnificentiam, terroremq; ſubmitterent, ſeptingentorum millium militum molem in Poloniam Turca ſuperbisſimus trahebat, magno Scytharum Chamo Dziamber Gereo, Othomano Imperatori ex federe militiam, & caſtra ſociante. Itaq; inundatis peditatu, Equitatuq; Moldauiæ, &

Bellum Turcicum. Inſtigante Bethlem Gabor.

apparatus ſex annorum.

700. millium exercitus Turcæ, & Scythæ Imperatorem.

Vala-

Digitized by Google

Orientis impreſſum eſt. Grande quippe patuit arcanum hactenus illis gentibus, & militiæ, quæ obedientià magiſtrà ſteterat ignotum, poſſe Othomanum Imperatorem in vrbe Regia ſuis a militibus Imperio, vitaq; ſpoliari. Quamobrem cum immania facinora imitatorem faciliùs quàm auctorem habeant, quin & imminuentibus paulatim horrorem exemplis, ipſa imitatione creſcant in maius, ad hoc opus trucidandi Conſtantinopolitani Principis, vti ſperare licet crebro iam decurrent ij barbari, vt nos recentia formidabilis quondam Imperij mala VLADISLAO accepta referamus, & futura quoq; cum extremo excidio aliquando poſteri ſint debituri;

Iam verò ſi Africæ, Europæ, atq; Aſiæ viribus fultum Oſmanem VLADISLAVS longe minori exercitu ſuperauerat, profectò eumdem totius Poloniæ armis ſuccinctum Regem parem Orbi Terrarum fore augurabantur. Nec falsò. Nam qui priuatus quantælibet fortunæ capacem animum approbauerat, mox etiam regali faſtigio ſublimiorem repræſentauit. A morte Sigiſmundi Regis per comitia vacante ſolio, Moſchus, Turca, Suecus, velut e condicto in Poloniam conſurrexerant. Admotus gubernaculis VLADISLAVS conſilium ponit inter Duces, ecquis e tribus hoſtibus patriæ pernicioſi-

2 pars.

Vladisl. in Regno.

Regno maior.

or?

or? Moſchus eſt viſus, qui centum ſupra ſeptuaginta bellatorum millibus, e quibus millia triginta e bellicoſiſsimis Europæ nationibus erant conducta, SmolensKum extremum Polonici Imperij ad Orientem propugnaculum obſidebat, & Belgicarum obſidionum in morem foſsis, aggeribus, & caſtellis circumuallatum, octoginta portentoſæ magnitudinis tormentis verberabat. Nec mora. VLADISLAVS reliqua Ducibus Moſcouiam deſtinat ſibi. Quid in expeditione nobiliſsima potiſmùm mirer, incertus pendeo; certant enim VLADISLAI laudes inter ſe, non minus quàm ille cum Moſchis, de Principatu. An fortitudinem, qua triplo minoribus copijs, prius pro ſoluenda SmolensKi obſidione, mox pro victoria dimicauit? An ſcientiam rei militaris, qua occupato per belli furta Alaudarum monte, & excitatis opportunè propugnaculis, obſtructiſq; vijs ad prohibendos commeatus, hoſtes obſeſſores obſedit? An patientiam inuictam, qua plures menſes in regione, hyemeq: perfrigida ita vt potanda flumina ſecuribus cæderentur, inque hoſtium oculis lacrymæ congelarent, Moſchos obſidere perſeuerauit? An patientiæ fructum, inauditæ victoriæ felicitatem, qua fame, ferroq; domitos cedere compulit arma, impedimenta, omnia præter animas, & prouincias

Moſchicũ bellum.

Moſchi 170. millia circa SmolesKum.

Vladiſl. in Moſchos.

SmolensKi obſidionem ſoluit.

Obſidet Moſchos in caſtris.

Sũma hyeme obſidionẽ continuat.

Cogit hoſtes dedere caſtra, tormẽta, ſarcinas.

tres

Tres prouincias ingentes

tres ingentes Polonico Imperio adiudicauit? An magnanimitatem, qua vexilla deuictæ gentis ſubſterni voluit regalibus pedibus conculcanda? Ipſas verò hoſtiles legiones ante ſuum, & Sereniſſimi Principis CASIMIRI conſpectum Polonico circum exercitu in ſignis armiſq; fulgente traduci iuſſit ſilentibus tubis, & complicatis vexillis; tum inclinatis capitibus, elataque voce confiteri, miſericordiæ Regis debere ſe ſpiritum, vitamq;, quam iure belli perdidiſſent? An deniq; benignitatem in ſuos? quando, vel deficientibus in bello faſcijs ad obligan da vulnera, ſudaria, & induſia regia diſtribuit, vel fortiſſimos Duces, qui re bene geſta vulnerati referebantur, in conſpectu ſuorum, & hoſtium eſt oſculatus: clementiam rurſus in hoſtes, dum arma, quæ vniuerſi ex fædere amiſerant, reſumi à Ducibus voluit remittens bellatoribus ignominiam morte grauiorem? Quamuis in hac laude regnatrix prudentia ſuam vindicet partem. Triumphatis quippe per vim corporibus hoſtium maluit animos humanitate ſubijcere, haud ignarus inter victores ſuperbos, & victos contumelijs irritatos, nunquam fidam pacem coaleſcere.

Dono vitam poſcere.

Militibus ſuis ſupellectilem regiam diſtribuit.

Duces oſculatur in prælio.

Alia duo bella fama huius victoriæ conficit

At ſi præclarum fuit VLADISLAO tantà victorià Moſcouiæ frænos inieciſſe, quid erit ſolà victoriæ famà duo non minora bella Turcicum, &

Sue-

Digitized by Google

Suecicum profligaſſe? Nonne perfidus Turcarum Imperator Amurathes, qui paternæ cladis, & ignominiæ inuſtæ Othomano nomini reponendæ auidus, cum Moſchis arma ſociauerat, & præmiſſo cum centum amplius millibus bellatorum ad inuadendam Podoliam Abaſſio Veziro, ipſe Hadrianopolim ſe contulerat, vt Orientem iterum in Europam commoueret, audito ingentiſſimæ victoriæ ſtrepitu, & Moſchicæ pacis nuntio, mutauit ex timore conſilium? quaſi ſolus atq; deſertus a ceteris orbis terræ Principibus Conſtantinopolitanus Ceſar cum VLADISLAO Rege congredi reformidaret. Quamobrem pacis redintegrandæ ſtudio, cum ſtrangulari iuſſiſſet tamquam fœderis ruptorem infelicem Abaſſium vnum è purpuratis cariſſimum ſibi vt impenſa ſumptuoſi funeris declarauit, viſus eſt placandæ Poloni Regis iræ victimam nobiliſſimam immolare. Poſt Amurathem terrore perdomitum, cum victorem exercitum, & polonas aquilas à Boriſtene ac Tira in Boruſſiam circumageret contra Suecos ſi minus amplitudine imperij, peritià certe gloriàq; armorum Turca præſtantiores, nonne Sueciæ Regina quæ id temporis Germanicis bellis diſtracta tenebatur, tantam armorum procellam cui Moſchus ſuccubuerat, Turcus effugerat, omni arte declinandam

Abaſſius in Polon. miſſus ab Amurathe.

Strangulatur ad placandum Vladiſl.

Funerat. viginti millibus aſprorum.

exiſtimauit? an memor è Regnatrice Sueciæ domo clarisſimos Poloniæ Reges imperitare, intra familiæ decus hæſuram putauit eam gloriam: ſi ereptas Prusſiæ vrbes annum ſexcentorum millium aureorum reditum cum Baltici maris imperio Poloniæ reſtitueret, vt Rex VLADISLAVS bellorum pretijs pace potiretur? Ecquid igitur mirum ſi triennio inter grauisſima bella bellorumque minas conſumpto, per tredecim reliquos annos VLADISLAI Regni, vitæq; ſpatium, alta pax domi, foriſq;, vt non minori miraculo in Polona, quàm in Romana olim Republica clauſum Iani templum videretur? Quam pacem vnica ſed maximà victoriâ partam dum reputo, quadraginta Sigiſmundi Patris victorijs, quibus magnus ille Rex Imperij annos æquaſſe dicitur, anteferre non dubito. Nam vbi hoſtis ex reuerentia prouocare non audet, plus eſt non dimicare, quàm vincere. Niſi fortè Romanæ Reipublicæ triumphos anteponas Auguſti paci, quando Romanus terror ſilentium bellis omnibus imponebat. Quod ſi glorioſum bellum vix ingloriæ paci præfertur, tanta eſt in bello calamitas, profectò glorioſa pax, qualis VLADISLAO regnante Poloniæ contigit, omnibus melior eſt bellis, atq; victorijs Ecquis enim alius tandem triumphorum eſt vſus, quam vt honeſta pace per-

Sueciæ Regina reſtituit Pruſſiam.

Pax longa in Polonia.

Prælata Sigiſmundi victorijs.

frua-

Digitized by Google

fruamur? Atq; vtinam ſuſcitata poſt tanti Regis obitum bella non oſtenderent, quantum pax, & felicitas Gentium à venerabili VLADISLAI ore penderet! en audiuimus regalibus exequijs funebres ludos celebrari, dum prodigæ ſanguinis gentes Polonicum iugum ſecuribus frangere moliuntur, & indomitæ feræ mortuo Leone tripudiant.

Sed neſcio an grauioris operis VLADISLAO fuerit, pacem cum externo hoſte firmatam, retinere inter ſuos. Nam bellicoſis ſæpe nationibus formidoloſior bello pax eſt, quando vbi hoſtis deſit externus, in viſceribus quæritur. Vladiſl. pacem cuſtodit domi.

Hinc Romanis olim vnum ex Imperij arcanis, vt bella de bellis ſererent, ne ciuium ſanguinem per diſcordias perderent domi, quo foris prouinciarum, & regnorum quæſtum facerent. Miſerabilis neceſſitas, vſuſq; regnandi. Perpetuà laniena generis humani damnare Rempublicam, haud dubià in præſens, futurumq; pernicie. Nam vel conſociatis externarum Gentium viribus obterenda eſt inuidioſa potentia nata excidio Orbis terrarum, ſi fortuna triumphos defatigata deſtituat: vel vbi omnia domuerit, vt Romana Reſpublica, in ſe parricidalia tela conuertet. Interim ſemper in ferro, ſemper in cædibus, nullà vacuà metus horà, bellorum pretijs haud quaquam peri-

Romani foris bella ſerebant vt domi pacé haberent.

Damnantur.

Ob crudelitatem, & pericula

culo-

culorum magnitudini reſpondentibus. Nam prouincias obtinent hominibus vacuas, & pro magnis regnis magnas ſolitudines. Atq; hæc, quaſi dum aliena ſic comparant, ſua non amitterent, nec deſolarent ciuibus oppida, cultoribus campos, rarà ſenectà, rariori iuuentute, victorijs abſumentibus ipſos victores. Dum familiæ cumulatis funeribus triſtes, afflictiq; vectigalibus populi, triumphos celebrant lacrymantes. Quæ cum verisſima eſſe veterum memoria temporum, & recentium exempla teſtentur, quis VLADISLAVM non minus admirabilem in conſeruanda pace, quàm profligandis bellis fateatur, diſciplinamq; in eo non commendet magis, regendi ciuis, quàm vincendi hoſtis, Reipublicæ ſalubriorem. Atq; in eo Regno, vbi quotidiana incentiua turbarum ſuppeditare ſolet natura Principatus rempublicam, regnumq; miſcentis, dum alij pro libertate, alij pro dominatione nituntur: tum religionis, ſectarumq; disſidia, quibus coactus non ſemel cum RoKosſianis confligere, fudit ciuilem ſanguinem Sigiſmundus, in componendis per victoriam, quàm euitandis, ciuilibus turbis felicior. Sed VLADISLAVS in eo Patrem ſapientisſimum ſuperauit, quod ciuiles diſcordias ſententijs, & decretis, non ferro ſanauit. Quamuis enim catholicam religionem in cor-

Sine vtilitate.

Et cum dãnis.

Vladisl. ciuile bellum vitauit.

de

de ferret, ferret in oculis, vti eum decebat Principem, qui plures Diuorum imagines in maioribus ſuis, quam pleræq; religioſæ familiæ numeraret, qui adoleſcens inuitatus ab hæreticis in Sueciam, auitum ſceptrum, quàm fidem deſerere maluiſſet, vt ſanè VLADISLAI Regis, & Sereniſſimorum Principum Fratrum fidei trophæum appellanda ſit non regnata Suecia: qui contra Turcas, Scythas, & Moſchos toties vigilias, labores, & pericula caſtiſſimæ religioni repræſentarit; nihilo tamen minùs fortitudine in bello, in pace ſapientiæ, ac iuſtitiæ artibus rem catholicam tuendam, amplificandamq; eſſe cenſebat. Quamobrem vnius ſententiæ reſcripto plus cladis hæreſi obtuliſſe fertur in Polonia, quàm alibi aliorum Regum arma cruentiſſima intuliſſent.

Regum SIGISMVNDI, VLADISLAI, CASIMIRI, ET CAROLI Principis, fidei trophæum non regnata Suecia

Vladisl. ſententia de tuenda Religione Catholica.

In Vrbe Vilnenſi (hæc Lithuaniæ metropolis eſt) hæretici ſupplicationi catholicorum inſultauerant. Cum enim è Franciſcana familia patres in ſacra pompa incederent, vnus è Caluini ſecta graſſator, prægrandem lapidem demiſit è tecto, in eum, qui ſalutare Domini pendentis è cruce vexillum ferebat. Nec fefellit ictus deſtinantem manum. Nam & augusta Seruatoris imago comminuta eſt, & myſtes vulneratus. Per eoſdem dies, alij ex eodem grege, ab editiſſima domus ſpecula, ſagittis col-

Facinus Hæreticorum.

Vilnæ catholicos vexant.

Diuorum imagines violant.

lineantes per ludum ſupra tectum templi monialium, cæleſtis militiæ Principis Michaelis effigiem, ſacrilego iactu temerauerant. Deferuntur vtrumq; crimen ad Regem, per vnum ex

Regi accuſantur.

„ principibus: Veniſſe tempus, quo VLADISLAVS pietatem ſuperis, iuſtitiam populis approbaret, & qua fortitudine Patriam olim, nunc Cælum defenderet. Hæreſim dum toleratur, intolerandam euaſiſſe, aut conculcandam penitus, aut ceruicibus ſuſtinendam. Ecquid grauius audere potuiſſe, ſi haberet fautorem Regem, Primates, Regnum, quàm violare Diuùm effigies: Seruatoris imaginem frangere, mactare ſacerdotes? Nec temere id factum, ſed in experimentum patientiæ, vt ſi impunè procederet, quod ſemel vnus, & alter, id palam omnes auderent. An ignorari Caluini diſciplinam? quæ arrogantiam, & inſolentiam doceat, non minus quàm catholica fides manſuetudinem, & patientiam? Quin obſequia exuat legum, & Principum, tàm falſo, quam ſpecioſo prætextu libertatis, dum conſcientiam ſuam audire tantùm, & ad ſe omnia referre iubet, quot capita, tot Tirannos. Quare humanitate nil profici, ſed vt feras natura, & aſſuetudine inhumanas, ad officium catenis, & ſupplicijs compellendos:

Hæret. mores.

Caluiniſta. inſolentia.

Libertas conſcientiæ qualis

Nec

Nec hæretici ſibi deerant, qui non ignari quantum peccauiſſent, vltrò querelas præuertere, & incuſare catholicos, quaſi rependiſſe iniurias, non intuliſſe viderentur. „Se deſpicatui eſſe, ac deridiculo omnibus querebantur, & veluti è Iudæa fece, vulgò iam pomis, & lapidibus appeti. Sed ſilentio tot mala inuoluere, deſperatione remedij ob conniuentiam catholicorum magiſtratuum, & quia quotidianæ miſeriæ obducto callo ſenſum ademiſſent. Iam verò illud ferre non poſſe: quòd ſi toties laceſſiti aliquid contra reponerent, ſtarim tragædiæ, auctis in maius criminibus, & vnius inuidià in omnes deriuatà. At ſe ſingulos grauiora in dies perpeti ab vniuerſis, quæ nemini aduerſariorum imputarentur. Scire vnde tantum animorum; quòd haberent catholici Regem in partibus, & adiutorem ſperarent. Sed falli. Regem VLADISLAVM eſſe, non ſacerdotem. Qualemcumq; religionem ſuperis; æqualitatem populis debere. Se Polonos eſſe, non Turcas. Eàdem patrià, lege, moribus, per omnia ſimiles, ſi fidem demas, quæ cum in animis abdita ſit, illius rationem Deo, non hominibus reddendam. Orare ad vltimum, vt ſi minus ſuis miſerijs ſubuentum vellet, ſaltem ne augeret, inimicorum calumnijs præ-

Hæretic. querelæ, ſed falſæ

„ben-

,, bendo aures. Sed reputaret, miſeros non
,, audere, illorum eſſe iniurias inferre, qui plus
,, poſſent.

Vladiſlai prudentia, & Iuſtitia.

VLADISLAVS cum vtriq; parti aures æquas tribuiſſet, ita verborum, & vultus ſignificationibus temperatis, vt quibus gratificaturus erat, paulò ſeuerior videretur, protractà in tempus comitiorum ſententià, die Senatus orationem
,, habuit prudentisſima moderatione: Se co-
,, gnouiſſe de criminibus, & in altera parte lu-
,, dicra, in altera atrocia reperire, etiam ſi ex
,, æquo probarentur, illa puerili verbere, iſta
,, ſupplicijs vindicanda. Sed neq; probari Ca-
,, tholicorum dicta, cum Hæreticorum facta di-
,, es, populus, cædis monumenta conuincerent.
,, Agite (inquit) quotquot eſtis Caluini aſſeclæ,
,, ſi quod admitti non oportuit, negando dilui
,, poteſt, fauentem Regem habetis. Sin luce
,, clariora flagitia ipſi diffiteri erubeſcitis, æqui,
,, boniq; conſulite ſententiam æquitati, non par-
,, tibus datam. Regem me fateor, non ſacer-
,, dotem. Sed videte qui vos error decipiat.
,, Sacerdos, minùs de Religione laborarem,
,, quæ per multùm intereſt Regis, & regni,
,, & quoniam pars regni eſtis, & Poloni, non
,, Turcæ, veſtrùm quoque. Nam duo ſunt, quæ
,, imperia labefactant hæreſis, & tyrannis. Hæc
,, ciues ab alienat à Principe, illa mutua odia

,, in-

Digitized by Google

„ inter ciues , ſerit, & inter Principem. At-
„ qui à tyrannide neſcio, an regnum longiùs Tyrannis, & hæreſis labes regnorum cur.
„ abſit vllum, quàm Polonicum, vbi tantum
„ libertatis, & Reges parentum, Nobiles inſtar
„ liberùm agunt. Ne noceat hæreſis per factio-
„ nes, & disſidia, prouidendum eſt. Neq; id
„ eò dico, quaſi ſacramenti peniteat initio re-
„ gni ſuſcepti pro libertate animorum. Vos
„ enim teſtes habeo nullius conſcientiæ vim il-
„ latam, nonnullos è ſectarijs honoribus auctos,
„ vt non modò iuſtitiam in Rege, ſed neq; li-
„ beralitatem deſideraretis. Quam cum alie-
„ næ religionis hominibus exhibuerim, neq; Re-
„ gis neq; viri boni officio fungerer, ſi æquitate
„ cunctis debita catholicos fraudarem meos.
„ Cum igitur multorum teſtimonijs, & ſua ipſo-
„ rum confesſione Caluiniſtæ coarguantur, in
„ Vrbe hac atrocia deliquiſſe, in pænam admiſ- Sententia in Hęreticos.
„ ſi, & ne inpoſterum nouæ cauſæ collidant, il-
„ lorum conuentum extra vrbem ablego, in
„ ſinagogam ligno temporario fabricandam.
„ Cadauera honore publicæ ſepulturæ caren-
„ to, auctores flagitij pæna capitis, & publica-
„ tione bonorum, conſcios exilio condemno.
„ Cæterùm & Catholicis, ſi qui ſunt ad iniurias Admonitio ad Catholicos.
„ proni, habeo quod ſuccenſeam. Vos religio-
„ ni caſtisſimæ magiſtræ manſuetudinis, & offi-
„ cij crimen infertis. An obſcurum eſt Chri-

F ſtia-

Religio Chriſtiana modeſtiâ creuit & patientiâ.

,, ſtianam fidem non inferendo iniurias, ſed
,, ferendo propagatam? Cur veras principatus
,, rationes inuertitis? Cur optimam cauſam,
,, dum malis artibus propugnatis, affligitis?

Fides Iuſtitia, & manſuetudine defendenda in pace.

,, Equidem (ſi quid Regis exemplum valet) fi-
,, dem fortitudine in bello, in pace, iuſtitia,
,, manſuetudineq; defendo. Quænam æmu-
,, latio peruerſa in mutuas contumelias tranſuer-
,, ſùm agit? in vtriſq; damnanda, plus in nobis,
,, qui ſaniora ſentimus. Fratres eſtis: habitum
,, ora, ſanguinem ciuium amate, ab animis tan-
,, tùm lue infectis eſt abhorrendum, ſed eatenus,
,, vt ſalus non deſperetur.

Catholicorum gaudium.

Quanta per hanc ſententiam in religionem catholicam commoda, & ornamenta, quanta clades, & luctus in Caluiniſmum, quanta in Regem fama, gloriaq; redundarit, quis valeat oratione complecti? Reſpirauit Vrbs præclarisſima, fece hominum tam ſordida eliminata, & locus extrà Vrbem teter, ac luridus Caluiniſmo deſtinatus geminauit horrorem. Cum exules, damnatoſq; odium generis humani ſequeretur: nec minus illi de religionis triumphantis gaudio, quam ſuis de opprobrijs, ſupplicijſq; mœrerent. Ademptis, quod triſtisſimum erat tantæ cladi ſolatijs querelarum. Quid enim? Iuſtitiam Regis incuſarent? Qui non ſecus ac mutæ leges, & inanimæ, ſine dolore, ſine ira

Hæreticorum dedecus, & mœror, qui queri non poterant de Regis Iuſtitia.

male-

maleſacta grauisſima vindicauerat. An catholicis iraſcerentur? Sed illi, vt virtuti ſuæ, ac Regiæ voluntati obſequerentur, victoria modeſtiſſimè vtebantur. An fortunæ maledicerent? At illa ſe excuſaret, & diceret, ſemper inſtabilem, nunquam ſceleri ſempiternam impunitatem promiſiſſe. Reliquum fuiſſet, vt ſe vnos ad tribunal mentis vocarent reos; ſed ſuperbia, & obfirmatus in prauo animus non ſinebat, nam innocentiæ pars fuiſſet culpam confiteri.

De Catholicorum modeſtia.

Nec de fortuna

Quod ſi Caluiniſmum ex vrbe principe, Arianos proſcripſit è regno. Nec occaſiones palam ſtruens, ſed prudenter accipiens oblatas, caſumq; vertens in conſilium, vt non ex pietate fauere fidei noſtræ, ſed alienæ perfidiæ iraſci, ex iuſtitia videretur. Quamobrem extra inuidiam, vel ipſorum hoſtium erat; non extra ſuorum gloriam, qui altiori intellectu facta non modum, & exitum rerum potius, quàm occaſiones, & initia perpendebant:

Vladislaus caſum in prudentiam vertit.

Ediderat neſcio quis libellum in Chriſti Domini diuinitatem, atq; vt authoritatis pondus adderet, viro nobilisſimo inſcripſerat. Rex admonitus venit in Senatum, docet qualis fuerit nefarij ſcriptoris audacia. Se cum regno „ inauguraretur pacem, libertatemq; animorū „ ſacramento hæreticis confirmaſſe, qui videli- „ cet Chriſtiano nomine continerentur. Aria-

nos

Arianus ſcriptor damnatus. ,, nos indignos eo videri, qui Chriſto diuinita-
,, tem detraherent. Se igitur Arianam ſuper-
,, ſtitionem perinde ac Mehemeticam è Polo-
,, nia exterminare, infamem ſcriptorem furcæ
,, addicere, bonis euertere, librum carnifici, &
,, flammis tradere. Sic vnius regalis ſenten-
tiæ fulmine Arianæ reliquiæ in Polonia confla-
grarunt: quas nemo Superiorum Regum au-
ſus fuerat attentare. Tantum animorum
VLADISLAO virtutum nobilisſimarum triumui-
ratus dabat; iuſtitia, vt honeſtisſima vellet, for-
titudo præſtabat, vt poſſet, ſapientia momen-
ta temporum, & occaſiones aptabat. Quo
factum, vt Regijs decretis nemo vel obloqui
ſciret, vel repugnare auderet, vel obtrectan-
dum exiſtimaret:

Quòd ſi poetarum more heroum virtutes
cauſis cæleſtibus imputantium, tantum in VLA-
DISLAO catholicæ rei ſtudium in auctores pares
referendum ſtatuamus, equidem poſt religio-
ſisſimam Parentum inſtitutionem, acceptum
refero peregrinationi nobilisſimæ, quando vi-
geſimo quinto huius ſæculi luſtrali criminum
anno, inuitante Vrbano Octauo Pontifice, Ro-
Vladisl. peregrinatio. mam acceſsit. Quo ſanè peregrinationis tem-
pore, quamuis priuati habitu, cultuq; tantum
Principem disſimulare conaretur, maieſtate
tamen, quam Diuinitas in Regum frontibus
im-

Digitized by Google

imprimere ſolet, & vulgatis Regij oris imaginibus, famàq; prodentibus, vbiq; nobilis inter acclamationes, & plauſus ingrediebatur: cum effuſi in occurſum populi cupidisſimè oculis quærerent, digitoq; monſtrarent Poloniæ Principem victorem Orientis, pro quo paucis ante annis ſe anxios animis agitaſſe meminerant, cũ in Valachia, duobus menſibus belli fortuna penderet, & propter apparatum Turcarum ingentem, ac modicas Poloniæ copias Chriſtiano nomini aduerſa timeretur. Quamobrem tantùm aberat ab ea ignoti perſona quam ſuſceperat, vt per ora Europæ Principum, & populorum non peregrinando traduci videretur, ſed triumphando. Anno 1621.

Sed nuſquam gentium maiores illi honores oblatos fuiſſe crediderim quàm in hac Principe ſacrorum vrbe ac ſede triumphorum, vti nullam decebat vrbem VLADISLAO patrocinium religionis, & fidei magis debere quàm Romam. Quæ cum id temporis hoſpitalem ſinum generi humano laxauiſſet, quot a remotisſimis terris ſui veneratores exciuerat, tot Vladislauianæ virtutis admiratores conferebat. Qui tunc populorum plauſus? quæ Purpuratorum Patrum gratulationes? quanta Principum ſtudia, quanta Cælitum? Cum triumphalibus Apoſtolorum liminibus affuſus, ma-

Digitized by Google

gnus exercituum imperator procumberet; cum priuato habitu inuiſens Diuorum cineres, qui pro Chriſto generoſum ſanguinem fuderant, quaſi conſortibus glorioſi laboris de ſuis victorijs gratias ageret, & acciperet, cum ad Regale Piſcatoris ſepulchrum ſuſpendens bellicam laurum, ad noua bella, nouos triumphos, recentes ſpiritus, & vigorem hauriret, cum ad Summi Pontificis, Secundæ a Deo Maieſtatis amplexum, atq; oſculum pedis admiſſus, duo inter ſe auguſtisſima ſacrorum, & bellorum coirent capita, quidquid erat in terris ſanctitatis, & armorum gloria, cum denique in Canonicorum vaticanæ baſilicæ ſenatum adſcriptus, linea veſte ac dalmatica indutus, Seruatoris effigiem Diuæ Veronicæ velo impreſſam tum veneraretur ipſe, tum venerandam exhiberet plaudentibus populis, & Poloniæ Principi Sacerdotem agenti fauſtè ac feliciter acclamantibus; cum vel ſacra ipſa bellicoſis illis manibus contrectari gauderent, quas fuſus toties impiorum ſanguis fecerat ſanctiores. Quo loco reticere non debeo honorificentisſimum Vrbani VIII. P. M. de Vladislai virtute iudicium. Cum enim de Poloniæ Principe in Canonicorum ordinem adoptando vt auguſtisſimam Chriſti imaginem propiùs intueri fas eſſet, exemplo Caroli V. Ceſaris ageretur, non-

Chriſti Domini effigiem D. Veronicæ velo impreſſam adorandam populo exhibet.

In canonicorũ ordinem receptus.

nulli

nulli verò in dubium vocarent, vtrùm Poloniæ Regis filius cum tanto Principe huius honoris dignatione conferendus videretur, interrogatum Vaticani oraculum nodum ſoluit: „VLADISLAVM Poloniæ Principem Maximis Re„gibus, & Imperatoribus eà prerogatiuà ho„noris coæquandum videri, qui triginta prælijs „Turcarum Tyrannum potentiſſimum con„cidiſſet. Quo Pontificis ſapientiſſimi elogio non ſolùm honorem adeptus eſt honori Magni Macedonis parem, quando à Corinthijs ciuitate donatus dignitatis communione rariſſimæ cum Hercule componi gaudebat, verùm etiam omni principali faſtigio ſublimior diſcedere viſus eſt à Regina gentium vrbe Ceſaribus æquiparatus VLADISLAVS ore Romani Pontificis, cuius auctoritas Occidenti Ceſares dedit. Poſt tam grande Romanæ aulæ teſtimonium, ſuperuacaneum ducerem ceteras referre ſignificationes honoris ampliſſimas, a clariſſimis Principibus, & Regibus VLADISLAO impertitas, niſi cum ſingulæ ſingularem aliquam in hoc Principe laudem exornarint, plus neſcio quid, quàm vulgaris per ſe honor facere ſolet, ſignificarent. Quid enim aliud egit marchio Ambroſius Spinula cum in Belgio caſtra Hiſpana quæ Bredam circumſidebant inuiſenti, inter cetera obſequia illud detulit, vt

Exemplo ſummorum Principum.

que-

quemadmodū hiſtriones Roſcio ſpectante geſtum facere non audebant, ita Spinula coram tanto militiæ magiſtro exutà Ducis perſonà, in VLADISLAVM regimen obſidentium copiarum transferret, atq; in luſtrando caſtrorum vallo illo celeberrimo, cum forte Rex locum opportunum propugnaculo deſignaſſet, eò ſtatim Marchio fabris operiſq; imperatis, poſtero die nouum excitatum caſtellum ad nutum ſummi Imperatoris oſtentaret? Quid aliud egit Turcarum Imperator Oſmanes? cum fœdere icto diſcedens prior, à dolore ſuo impetrauit Barbarus iracundus, vt victorem VLADISLAVM ſalutatum mitteret, donatumq; maximi elephantis munere; quid aliud inquam contendit, niſi vt Principem flore ætatis æqualem, potentia æmulum, claritudine generis non imparem, ſuperiorem maieſtate virtutis fateretur? Cum verò ſublato è viuis Sigiſmundo nullus Chriſtianorum Principum Polonicum ſceptrum ambire auſus eſt, ita vt rarisſimum decus, VLADISLAVS tantæ ſpei candidatus competitorem non haberet, nonne VLADISLAI nomini, & virtuti tantum venerationis Europæ Principes tribuerunt? Cum denique magnus Scytharum Chamus VLADISLAVM in Moſcouiam contendentem, legatione nobilisſima eſt veneratus, qua, & victoriam augu-

Ab Oſmane Turcarum Imperàtore.

Ab Europe Principibus in comitijs.

A Magno Chamo Scytharũ:

Digitized by Google

augurabatur, & victoriæ ſe adminiſtrum cum octoginta bellatorum millibus offerebat, quæ res alia ferociſſimi barbari animum tanta obſequij dulcedine mitigauit, niſi eximia VLADISLAI benignitas, qua initio Principatus captiuos omnes Scythas, atq; in ijs Principem Chami fratrem ſine vllo pretio dimiſerat, vt inaugurationis ſuæ lætitia ad inimicas etiam, & remotiſſimas gentes perueniret? Quid acclamationes populorum in vrbibus? quid amor ſtudia, fides militum in caſtris? quid in gymnaſijs prædicationes litteratorum? quid oratorum panegyrici, carmina poetarum, hiſtoricorum annales? quid ſtatuæ, & ad memoriæ æternitatem erectæ ſumptuoſiſſimæ moles? quid aliud niſi cætera illius animi clariſſima lumina teſtantur? illam benignitatem, qua neminem à ſe triſtem abſcedere patiebatur, munificentiam, quæ Poloniæ alueo ampliſſimo non contenta in exteros beneficijs redundabat, illam ſapientiam doctrina, & peregrinationibus imbutam, quinque principibus linguis ad miraculum exercitatam facundiam, humanioris litteraturæ peritiam, & hiſtoriarum plenum pectus, cum Liuianas decadas nouies euoluiſſe dicatur, prudentiam incredibilem in continendis in officio ducibus, militibuſq;, quæ artes Annibalem, non minus admirabilem, quàm Trebiæ, Can-

Amor populorum militum literatorum.

Virtutes Regis
Humanitas

Munificentia

Sapientia

Peritia linguarum

Hiſtoria

Prudentia militaris.

 næq;

Felicitas.

næq; fecerunt: fortunam deniq; quam ſeu virtutis comitem fateare,ſeu numinis donum, penè in poteſtate habuiſſe videtur VLADISLAVS

Corporis dignitas.

quàm Alexander, aut Cæſar. Cum præſertim dignitas oris animi magnitudini conſentiret:

Frons lata.

frons lata, & exporrecta, qualis Platoni nomen indidit, magnæ mentis, & magni pectoris indicium:

Grandes oculi.

grandes oculorum orbes, ſed concinni, quales Deabus ſuis familiari epitheto affingit Homerus:

Labrum Auſtriacum.

labrum inferius prominens, Auſtriaca nobilitas:

Naſus aquil.

naſi filum decenter oblongum, aquilæ in morem, vt generoſos decet, qualem in Regibus ſuis laudabant Perſæ, ac propterea Cyro fabuloſa Xenophontis hiſtoria,noſtri annales citra fabulam Georgio Scanderbecho tribuerunt:

Color candidus, & rub.

color candidus in malis rubore ſuffuſis, vt miraculo eſſet in VLADISLAO, non minus quàm olim in Alexandro pulchritudinem cum tanta fortitudine conuenire:

Flaua cęſares.

flauum capillamentum ad humeros vſq; promiſſum in morem leoninæ iubæ, quod ferociam militarem pariter, & facundiam indicaret: tota deniq. corporis moles, & figura ita compacta, vt bellatorem, vt heroa, vt Regem Poloniæ potentisſimum deceret. Sed propero ad po-

Poſtremus Regis conatus in Turcam.

ſtremum vitæ actum, quando incommunem hoſtem Turcam Venetæ pacis perturbatorem cum ingentem exercitum cōduxiſſet,coactum

iuben-

Digitized by Google

iubente Polona Republica diſſoluit. Quo facto duo in omnem poſteritatem prædicanda ſummæ virtutis documenta Rex auguſtisſime reliquiſti: alterum quod paratus eras in communi fidei cauſa extremum ſpiritum fundere, alterum quod prohibitus Turcas vincere, te ipſe viciſti. Arduum ſemper fuit Regibus etiam inermibus aliena iuſſa faceſſere, & alios potius audire, quàm ſe. VLADISLAVS Rex, Reipublicæ paruit armatus. Paſſus eſt audiri voces ingrata iubentium inter tubarum, ac tympanorum ſtrepitus, quadraginta millibus bellatorum pro VLADISLAO Rege mori paratis. Quanta hæc moderatio in ſumma potentia? cogi voluit, cùm cogi vix poſſet. Dedit hoc Reipublicæ charitati, dedit legibus patriæ, & quoniam leges mortalium ab vna ſempiterna lege deriuantur, dedit hoc Deo.

Poſt immortale facinus, ne quid humanum cæleſtis animus agitaret, fortisſimum Regem Superi aſſeruerunt inter Vladislaos ſuos Caſimiros, & Sigiſmundos. Quorum imperium virtutem felicitatem aſſecutus cum viueret, religionem, & pietatis ſtudium potisſimùm expreſſit in morte. Quanta enim in expiando ſepius confesſionibus animo diligentia? Qui ſenſus, & lacrymæ in delibando ferculo immortalitatis? Quā fortis in extremis ſecuritas, & ea pu-

gna corporis animã dimittere reluctantis, quàm plena pacis? Deceſſit a rebus humanis VLADISLAVS eo animo quo ad bella pro fide contendit, relicta ſuperſtitum ſolatio ſuarum virtutum imagine, ea longè perenniore, quam Sigiſmundo Patri in vrbe Varſauia, ex ære ſolido, ſuper marmorea columna magnificentiſſimã dedicauit. Hanc figuram mentis æternam formamq; meliorem, ſempiternà memorià celebrare potiùs, quàm ignauis lacrymis libeat, celebrandumq; poſteris tradere VLADISLAVM Poloniæ, ac Sueciæ Regem, ante regnum regni capacem, in regno maiorem, Moſchi, Sueci, Tartari, Turcæ triumphatorem, veneratum Principibus, amatum Populis, hoſtibus formidatum, nemini inuiſum, inſignem profuſione opum, auaritià gloriæ religionis tenacem, prodigum ſanguinis: ingenio viuidum, valentem manu, victoriarum artificem, cuſtodem pacis, fortiſſimum inter ſapientes Reges, inter fortes ſapientiſſimum, ſolertia Annibali, virtute Scipioni, felicitate Auguſto parem: Regum, Cæſarum, Pontificum teſtimonijs, & prædicatione glorioſum, flagellum ſchiſmatis, Caluiniſmi funus, Arrianorum excidium, huius Romanæ Sedis, B. Pater, quam præſens magnus adorator inuiſit, ad ſeptemtrionem propugnaculum, victorem olim Orientis, ad vltimum ſui. Dixi.

Aenea Sigiſm. effigies ſiniſtra manu Chriſtũ cruce affixum dextera gladium gerens.

Sub pedibus Moſchus Turca Tartarus.

LAVS DEO.

Digitized by Google

CASIMIRI IV.
POLONIAE
AC
SVECIAE
REGIS
INAVGVRATIO TRIVMPHALIS

Carmen

In aula maxima Collegij Romani Dictum

AD EMINENTISSIMOS S. R. E. CARDINALES

A GVLIELMO DONDINO BONON.
E SOC. IESV.

Digitized by Google

Digitized by Google

PROLVSIO.

CVM in Romano Collegio non ſemel Heroum, ac Principum virtuti Muſarum chorus aſſurrexerit Eminentiſſimi Principes, nefas eſſet ſilentio præterire CASIMIRVM hæreditarium Sueciæ Regem, ad Poloniæ ſolium euectum non Regij iure ſanguinis, ſed heroicæ commendatione virtutis, cùm fortuitum ſit naſci Principem, vt ait ille, optimum quemquè electio inueniat. Sed alio inſuper nomine Rex CASIMIRVS Romani Collegij vindicat plauſum, quòd hac in vrbe in obſcuritate noſtri Ordinis latere voluit, vt cœlo viueret notus ac ſibi: indèq euocatus ab INNOCENTIO X. regnante Pontifice, in veſtrum Eminentiſ. Principes Regalem cœtum Maieſtatem intulit, ac recepit. Et quoniam in Polonia tranſitus rerum magno concuſſi regni motu contigit, neq; Atlas Herculi Cælum ſine trepidatione ſyderum tradidit; à morte Regis VLADISLAI, & calamitatibus eam conſecutis carmen ordimur, vt illi turbines, huic ſerenitati gratiam concilient, magna Regis extincti gloria, cuius ore Poloniæ pax expirauit, maiore Succeſſoris, quo electo ſtatim reuiuiſcere viſa eſt; cum inaudito authoritatis miraculo, ad nutum CASIMIRI Regis trecenta Koſacorum millia, arma, & contumaciam depoſuerint. At imperia perindè ac homines mortalia, ſuos in morbos, hoc eſt ſeditiones, & bella faciliùs inducuntur, quàm conualeſcunt.

Digitized by Google

CARMEN.

SArmaticæ rubuere niues, dum triſtis Enyo
Calamitates Poloniæ.
Sanguineo tragicos egit certamine ludos
Poſt mortem Regis Vladiſlai.
VLADISLAI funebria iuſta feretro,
Sed renuere pij crudelia munera Manes.
O nunquam ſtabili fundata in cardine regna!
Quæ regio in terris felicior ante vigebat
Felicitas eo viuo.
Sarmatià, medioq; die, ſeptemq; trione,
Moſcho Scytha Turca domitis
Auroràque triumphatà? poſt funera Regis
Quid Sol flebilius vidit? per regna vagatur
Bellona comitante furor, nec iura, fideſquè
Obſtiterant, quin excutere è ceruice rebelli
Auderent Regale iugum, perfringere faſces
Enſibus, & iugulis Dominorum immergere ferrum.
Tantùm vno clades regnorum à funere pendet.
Sed vertit fortuna vices. En priſca reducit
Redit tranquillitas electo in Regem Caſimiro
Sæcula, purpureo ridens lux alma ſereno,
Qua ſolito Titan radiantior æthera luſtrat,
Regiaquè oſtentat CASIMIRVM purpura terris.
Proh quantus ſubitò diffuſus in omnia regna
Sarmatiæ redijt vigor? externatquè tumultu
Caſtra inimica pauor, formidine Moſchua turres
Mouit, & ignaras quæ tanti cauſa timoris
Infantes Scythici matres ſtrinxere lacertis.
Tantùm mente ſalus regnorum pendet ab vna.
O longa Auguſti memorandi in ſæcula Fratres,
Tam varia in ſcena veſtro ſors plaudit honori!

Digitized by Google

VLADISLAO moriente Polonia languet,
At reuocat rurſus CASIMIRO Principe vitam:
Magnorum Regum fatis ſic voluitur Orbis.

Narratio

Poſt quam dimiſſo curas Rex milite belli
Exuerat, dubiumq; hoſtes poſuere timorem,
VLADISLAVM palmæ melioris imago

Vladislaus morti proximus,

Suſcitat, & Cæli donat ſperare triumphos.
Tædia victorem terræ cepere ſubactæ,
Aſtra placent, nec ſe meritis Herois Olympus
Abnegat, in terris Cælum qui texerat armis.
Ergo vbi iam properi ſenſit veſtigia lethi
Acciri mandans proceres, & lumina regni
Innixus lecto cubitum, verba vltima fudit.
Viximus ò Ciues, factis impleuimus Orbem

Rex magnitudine animi fortitudine liberalitate memorandus.

Magnanimis, donis populos, & cladibus hoſtes:
Nunc Cælum vocat, & gentilia Numina Reges

Genitus è maioribus relatis in Diuos.

Adſcripti ſuperis. placida in ſtatione relinquo
Imperij puppim, quam tempeſtate regendam
Suſcepi, ſtant regna meis munita trophœis.
Rara quies deni populis Borealibus anni,
O vtinam longum pax noſtra perennet in æuum!

Preſagit animo bella poſt obitum.

Sed timeo humanos caſus, vetitumquè beatis
Eſſe diu, ſæuos ſcio circum habitare leones,
Et largas animæ gentes, in vtrumq; paratas
Aut donare ſuum, aut veſtrum exorbere cruorem.

Cum viueret manu ſua compreſſa.

Has premit, expertas, noſtræ iam pondera dextræ
VLADISLAI terror pro mille maniplis.
Quam timeo extincto ne prælia Marte retractent?

Bella,

Bella, doli, clades, & centum turba timorum
Circumſtant moriẽtem: vtinam mens fallat amantis! *Amor Vladiſlai in patriam.*
Vos teſtor Ciues, exantlatiquè labores,
Pro patria vitam haud renuo differre beatam
Vt donem patriæ mortem; ruat hæc, ruat omnis
In Regale caput; tempeſtas debita Regno.
Sed ſperare iuuat caſſa omina. Nunc morientis
Extremas audite preces. Si cognita virtus *Commendat moriens. Caſimirum iã pridem regno maturum.*
Iam pridem Fratrem CASIMIRVM ad regna vocabat,
Quæ regeret, ni ætate prior ſceptra ipſe tuliſſem,
Quæ mora nunc trabeæ tardat Regalis honorem
Spectato Iuueni, bellis, ac pace? parentem
Qui pietate refert, qui Fratrem pectore, & armis. *Religione Patri fortitudine Fratri ſimilem.*
Illà conciliat ſuperos, his territat hoſtes,
At populos vtràquè beat. fortisſime Princeps
Turbida regni, Tibi, duris exercite fatis,
Ludus erunt. CASIMIRE TVO dulcisſime fratri *Fortunam variam expertũ.*
Quæ procul amplexu nos diuidit ora ſupremo? *Qui tunc temporis ab aula aberat.*
Nulla meæ ſine Te quæſita eſt laurea fronti. *Comes fuerat Vladisl. in grauiſſimis bellis.*
Moſchorum pariter tumulis ereximus arua,
Et Tanais glaciem poturi, ſoluimus vndam
In galeam, Auroræ penetrauimus vltima regna.
Nunc Tibi, quod licet, impono diadema Suecum, *Caſimiro coronã Sueciæ hereditariã tradit.*
Sarmatiam tradent alij. ſi hæc munera noſtro
Heroes dabitis Cineri, precor ipſe vicisſim,
Vt Vobis noſtri ſimiles dent ſidera Reges.

His dictis corpus pariter, lacrymaſque reliquit *Moritur Rex Vladisl.*
Sarmatiæ, ipſe nouo decorauit ſydere Cælum.

Ter-

Digitized by Google

Terrarum ò quondam ſydus, nunc gloria Cæli
Atque Aulæ ſtellantis Amor, ſeptena trionum
Aſtra ſuper curru vectus radiante triumphas
Sarmaticum luſtrans propiori lumine mundum:
Gaude ſorte tua. Non te funeſta videntem
Tot mala turbarunt patriæ: non bella, Ducumque
Interitus, tantis crimen peperere triumphis.
Clades Ruſſiæ. Non plenas auidis vidiſti ſtragibus Vrbes,
Ruthenùmque pio perfuſos ſanguine campos.
Non tot magnanimæ ſobolis diuendita Turcis
Mancipia (heu facinus,) victæ famulantia genti.
Haud natos in matrum amplexu, in ſanguine matres
Mactatas natorum; nec pendentia equinis
Sacerdotes trucidati. Membra Sacerdotum caudis, diſcerpta per agros:
Aliquot è Societate Quos inter, noſtra nonnulli è gente, rebelli
Perfidiæ inuiſi, ceciderunt victima Cælo:
Et ex alijs ordinibus Cætibus ex alijs, alij iacuere perempti.
Felices animæ! quotquot ferus abſtulit ènſis
A Schiſmaticis Et Romanæ odium fidei, vos pæna bèauit,
Hoſtis & imprudens cæleſtes reddidit, almis
Diuorum ordinibus ſociati ducitis æuum.
Interea Rex Sarmatiæ, haud patietur inultos,
Quiſquis erit: ſed vos (neque enim decet ira beatos)
Nunc ſanas mentes orate, furentibus ægris.
Prima malorum cauſa. Quænam prima mali labes? quis funeris author?
Vndè hæc ſæua lues? cur tantæ, ò Muſa, ruinæ
Dic age? nam lacrymæ potiùs quàm verba dolenti
Sufficiunt, vocemq; incluſam præpedit horror.

Vir

Digitized by Google

Vir fuit, humano ſi dignus nomine, cladis
Viri Nobilis ira & ſæuitia.
Author inhumanæ, qui nobilitate ſuperbus,
Atque opibus claris, pluſquàm ciuile tumebat.
Hunc inter, procerumque alium de plebe minorum,
In militem ſecum diſceptare auſum.
Arſerunt lites, & iurgia; parta tueri
Nam minor, indignari alter, quòd viribus impar
Auderet ſecum contendere lancibus æqui.
Primò inter famulos rixæ, mox improbus alter
Alterius domino irrumpens abſente penates
Illius vxorem verberat.
Vxorem miſeram, flagris nil tale verentem
Excipit, at natum foribus ſuſpendit ab altis.
Filium præ foribus domus ſuſpendit.
Vxoris cruor, & lacrymæ, proliſque peremptæ
Horridus aſpectus, turpiſque infamia lethi,
Vmbraque per noctes viſa, heu deformia fune
Colla gerens, patrem furijs egere dolentem.
Patris dolór furor, & vindicta.
Quos non ille ſuis lacrymis incendit agreſtes?
Quas irà, luctuque furens non impulit vrbes?
Nec mora, coniurant, quibus aut inuiſa poteſtas
Ingẽtes motus concitat.
Nobilitatis erat, tenuis ſeu paupere cenſu
Fortuna, in ſolis ſpes viuere ſola rapinis.
Tum vix nata caput diſcordia tollit, & atram
Dextra facem quaſſans, bellorum incendia voluit,
Vnius proles fuerunt tot crimina noxæ.

Diſcite fas colere, ac Themidi parere potentes:
Pareneſis ad Nobiles. Polonos.
Qui licet ſoluti legibus iuri tamen naturæ & rationis legi ſubiecti.
Iura licet vos nulla premant, maiorque poteſtas,
Sunt cordis tabulæ, ſunt iura recondita fibris
In medijs, & mens ſua teſtis, & vltor Olympus.
Omne nefas natura vetat, mens conſcia damnat.

Digitized by Google

Quam qui ſpernunt
Vt Regem populus, legem hanc Regnator adoret,
Tyranni.
Hanc vbi Rex violat, populi ſpreuere Tyramnum.
Deus ſolus ſuper omnes leges.
Eſt vnus Princeps ſuper omnia iura, nec vllum
Maieſtas vnquam patitur Diuina tribunal.
Is tamen paret ſibi ac legi ęternę.
Sed Deus ipſe ſibi lex eſt immobilis, vnde
Imbuit humanas omnis ſapientia leges:
Cur legi parere piget, cui numina parent?
Sæuitiem diris meritò execrata ſuperbam
Inuectiua in alterum turbarum authorē.
Muſa, patrem miſerū pete carmine. Sic ſcelera addis
In ſcelus infelix? ſic crimina crimine plectis?
Non ſunt mala malis vindicanda.
Et iuratæ acies, vnum mactare nocentem
Dum properant, omnes ſe ſe fecere nocentes?
Si natus periȷt, meruit quid patria? tanto
Debuit ergo tuos luctu ſatiare dolores?
Plus quā quadringinta millia hominum cęſa in his tumultibus.
Millia cædem iſtam, nec quadringenta piabunt?
Et cadet humanum genus vni victima morti?
Deteſtande pater, nati dignisſime clade
Quæ te pæna manet ſcelerum: quæ flagra ſub orco?
Et furor, & ſtridor, paſturæ & viſcera flammæ?
Qui patriæ reddis vitæ pro munere funus.
Digreſſio ad ſeditiones, & ciuilia bella Europæ.
Sed quid ego ſolùm mortales arguo? patrem
Inſanum, pœnæ cupidum nimis, aut homicidam
Infandum, aut populos aduerſus fræna rebelles,
Præmonſtrata a capite meduſæ vt aſtrologis placet.
Si fati hæc etiam ſunt vulnera, temporis iræ?
Siue venenatæ ſtillarunt aſtra Meduſæ
Hanc rabiem, Cælumque notatur crimine tanto:
Seu propria Eumenidum ſoboles, caput erigit orco
Sanguineum, vicina vocans ad funera Mundum:

Nuſ-

Digitized by Google

Nuſquam tuta ſalus; toto orbe, vagatur Erynnis.
Prima facem bellis ciuilibus, extulit ipſos
Britanniæ ſeditiones.
In Reges, fruſtra defenſa Britannia vallo
Oceani, ah dulcis nimis ebria nectare ſortis,
Quæ vacua externo, intra viſcera quæſijt hoſtem.
Nec ſatis arctoum fuit inflammaſſe rigorem;
Corripuit furor Italiam, Sirenis & almæ
Tumultus Neapol.
Regna, ſuum belli furijs imitata Veſeuum.
Sicaniamque rogis grauioribus ignibus AEtnæ
Siciliæ
Flagrantem, toto ſpectaſtis gurgite Nymphæ.
Inde per ægei decurrens æquora ponti
Threicij furor ad fauces penetrauit Abydi,
Reginamque Orientis ſeditionibus Vrbem
Conſtantinop.
Impleuit, fracti faſces, cæſique Dynaſtæ
Turcarum, atque ipſum ſolio abſtraxere trementem
Regnatorem Ebrahim, clauſique in carcere diro
Et cædes Ebrahum Sultani.
Regia purpureà fregerunt guttura vittà.
Eoum imbellis geſtauit dextera ſceptrum;
Infans ſuccedit imperio.
Imparibuſque humeris rudis inclinata puelli
Iam dat pondus iners Othomani machina Mundi.
Quod nutat.

Perge furor, Thraceſque feros inuolue ruinis:
Imprecatio in Turcas.
Hic vires effunde tuas, quate perfida regna,
Sarmatiæ ſed parce piæ. Audior, intonat æther
Poloniæ ſubueniunt ſuperi
In læuum, memores tangunt mortalia Diuos.
Vnum illi patriæ columen, regnique labantis
Qui fauent electioni Coſimiri Regis.
Fulcimentum ingens, fortunæque omnia contra
Magnanimam opponunt Casimiri fulmina mentem.
Matura Imperijs ætas, exercita bellis

De-

Digitized by Google

Dextera, tot proaui Reges, tum pectore in vno
Mille Duces clauſi, & pietati miles Olympus.

Cui maior gloria afflictæ patriæ ſuccurrere

Scilicet hunc patriæ indignas miſerata ruinas
Aſtra reſeruabant Regem. Velut Annibal alpes

Quemadmodum, Annibale Italiam vaſtante.

Italiæ muros, cum diduxiſſet aceto,
Et ferro, mox victor ouans poſt funera Cannæ
Potaret Tyberine tuo lætos elephantos
Gurgite, non oblita ſuam ſunt ſydera Romam.
Sed tunc victorem Annibalis, Lybiæque futurum

Scipionē Africanum propugnatorem fata deſtinabant.

Scipiadem exitio, & cognomen grande parabant.
Hæc vbi ſidereis patribus ſententia ſedit,
Sarmatiæ Diui ſe immiſcent cœtibus vltro
Heroum, occultàque manu ſuffragia verſant.
Corda Senatorum, queis integit infula crines
Sacra, Sigiſmundus mulcet, Lituania ductum
Prona Iagellonis ſequitur, memor illa verendi
Sanguinis, & viuum in CASIMIRO exemplar adorans.
At ſemper dextro audaces a marte polonos
Et deuota Ducum fortisſima pectora bello
Vladiſlaus ſubijt, natuque minorem
Germanum CAROLVM CASIMIRO fœdere iungit.

Elogium Sereniſſimi Principis Caroli a moderatione animi pietate prudentia magnanimitate.

Regibus ò genite, & Frater dignisſime Regum!
Regna Tibi meruiſſe ſatis, pietatis honorem
Anteferens ſolio, CASIMIRVM in ſceptra reponis.
At pulchrum regnare putas, ſed cedere Fratri
Pulchrius, & pluſquam regnum dare regna merenti.
Tunc externa alij remouent obſtacula Diui.
Cognato fauet hinc Iuueni Regina Suecca,

Illinc

Illinc armatum ſe Brandeburgicus offert;
At merita iniuſto properantur funera Daco,
Sceptra aliena petens, ſua captus morte relinquit.
Ergo vox Procerum votis ſociatur Olympi.
Vnanimi aſſenſu, ſolium Regale, decorum
Et Patris, & Fratris lauris, vtrique futurus
Par, CASIMIRE, ſubis; regnum tibi Patria defert
Sarmaticum, regni pretium rogat ægra ſalutem;
Sceptra cape, vt ſerues. Tu reddes otia terris,
Sarmatiæ laurus, atque hoſti funera. Diuis
Sic regnare decet genitos, Diuoſque futuros.
Quis credat? paulo ante truces, & acerba frementes
Vnanimi Regem conclamant voce cateruæ,
Viuat io CASIMIRVS io, centena boatu
Iam tormenta tonant, iam Rege iubente, pharetris.
Exarmant humeros, & ſigna minacia ponunt.

Electo Caſimiro Regi plaudunt exercitus tumultuátes.

At Reges tantùm terror tremefecit Eoos,
Et Volgam, & Tanaim: lætùm ſonuere Triones,
Cantus & Arcturi Cœlo eſt auditus, in agris
Argento fulſere niues, ſua gaudia ſyluæ
Electri ſtillant lacrymas, ſua gratia pratis
AEſtiui redeunt hiberno tempore flores.
Nunquam apis iniuſſo tam multa examine truncis
Incubuit, finxitque omni ſub cortice mella,
Flumina nec ripis requierunt ire canoris.
O quam feſta dies Orbi? quæ gaudia tentant
Europæ populos? Germania læta triumphat
Cæſareæ inuictam ſobolem regnare ſororis.

Apes in ſiluis Poloniç paſſim mellificát.

Gaudium Europæ.

Germaniç

Gal-

Galliæ. Gallia cognatum propior diadema ſalutat;
Hiſpaniæ Fraternos procul in plauſus exultat Iberus.
Sanguinis Auguſti partem traxiſſe ſuperbos
Ducis Neoburgici. Ad Rheni Comites iactat Neoburgicus, omnis
Sueciæ Geſtit in Arctoo generoſa Suecia fluctu
Quæ Gentis decora, & Gothicos, Suecoſq; triumphos,
Vandalicoſque animos, regnanti infudit Alumno.
Sed quamuis longo terrarum disſita tractu
Italiæ A ſceptris Rex magne Tuis iacet Itala tellus:
Illa tamen ſtudijs, votiſque, animiſque propinquans
Nunc Tibi, Regali chara imprimit oſcula dextræ.
Magni Ducis Hetruriæ. Hic vbi Mediceus gentis regnator Ethruſcæ
Auſtriaci generis nexu ſociatus amanti,
Venetæ Reipublicæ. Et Veneta Hadriaci felix Regina profundi,
Non ſemel hoſpitijs Regem tenuere ſuperbis.
Ducis Mantuę. Hic Tua plaudentes ad ſtemmata ſoluit olores
Mantua, Sarmatiæ Reginas gignere gaudens,
Cæſareo, & thalamo Auguſtas inferre Maritas.
Romæ. At ſeptem colles inclinans ardua Roma
Pendet in obſequium, & Regem Regina ſalutat.
Adhortatio ad Regem. O decus Europæ, Romæ venerabile ſydus:
Quò Te cumque vocant ſortis diſcrimina tantæ
Macte animis, nec bellorum tentare procellas
Addubita, & medios interritus ire per hoſtes.
Tumultuoſa ſemper regnorum initia, etiam celeſtis Turbida ſunt ſemper Regnorum exordia; Cœlum
Principio trepidaſſe ferunt ad bella, nec ipſum
Sceptra ſatis tranquilla manu tenuiſſe Tonantem.
Rebellante Lucifero. Cum raperet ferus, indociles parere cateruas

Luci-

Lucifer irruptoque tumens Aquilone ſederet.
Sed bello ſtratum Michael, in Tartara trudit — *Sed domitus eſt a Michaele*
Præcipitem, Cælique nefas tumulauit Auerno.
Sed quid ego longè de Cælo exempla requiro?
Regnandi tyrocinium Pater imbuit armis, — *Sigiſmundus, & Vladislaus initio regni bella geſſerunt*
Fraterni exortum decorauit laurea ſceptri,
Et Tibi fas pariter ſolium veſtire trophæis.
Per varios caſus, per mille pericula, magnis — *Rex Caſimirus a paruo laboribus & periculis exercitus*
Imperijs, Te fata parem formare laborant.
Quæ Tibi dicta dies genio, aut nox integra ſomno?
Quando animus ſine cura, aut expers hora laboris?
Scilicet æterno vt gaudent cæleſtia motu,
Vt ſol ſtare nequit, maria irrequieta feruntur,
Sic Tibi Rex eſt vita labor. Florente iuuenta
Grande rudimentum belli, prima induis arma — *Adoleſcens ſub Sigiſmundi arma tulit in Pruſſiam.*
Sub Patris auſpicijs, & Pruſſos marte fatigas,
Mox quatis Auroram cum Fratre, & Moſchica caſtra. — *Sub Vladisl. in Moſchouiam, vbi & ipſe exerc. duxit. Sub eodem cõtra Amurathẽ Turcam, qui territus pacem petijt. Mox ad bella Germaniæ profectus.*
Inde coronatus lauris victricibus, Auſtrum
Perſequeris, veniamque iubes expoſcere Thracem:
Tunc pax alta domi; Genius Te ad bella propinqua
Abripuit, toto ſpargentem funera Rheno.
Illinc Luſiadum ſceptris fortuna regendis
Dum vocat, inuictum varijs Heroa fatigat
Caſibus, & fatum CASIMIRI regna ſequuntur.
Redditus es patriæ; ad thalamos comitare ſororem
Vix paulùm vacat, & Cælo mens indita longas
Suadet inire vias, ac Romula quærere regna. — *Romam contendit Carolũ V. imitatus cõtemptu rerum humanarum.*
Cæſaris Auſtriaci cognata exempla ſecutum

Ma-

Digitized by Google

Magnanimoſque Orbis contemptus Roma recepit.
Hìc digito attoniti Te monſtrauere Quirites
Priuatum Regem, ſolem ſub nube latentem.
Hìc pia templa pedes luſtras, diuùmque ſepulchra,
Celante in pannis ſe Maieſtate, ſed illis
Notus eras Princeps. qui ſenſus, quæ Tibi ſoli
Auditæ Superùm voces, ad corda loquentum?
At quanti populi ſtrepitus, ardorque videndi?
Relligionis honor quantus, cum grande Tonantis
Pauperis exemplum, Regalem pro ſtipe dextram
Porrigeres? an non Tua tunc ſi cætera deeſſent
Firmabant exempla fidem, Romamque docebant,
Pauperiem nõ Rege minùs, quàm Numine dignam?
Purpurei lacrymas non continuere Senatus
Lumina, & ipſe Orbis Rector, tenereſcere ſenſit
Motu corda pio: hæc poſt ſecula longa, referre
Externos Reges, pietatis pignora Romæ?
Has fidei flammas gelidos aluiſſe Triones?

Roma veneratur in Caſimiro Maieſtatem quamuis priuato cultu diſſimulatam.

Mox cultus mutati; haud amplius inclyta Roma
Te colit vt Regem, cæleſte vt Numen adorat.
O ſortis luſum! ò ſolertia prouida fati!

Vis diuinæ prouidentię quæ Principẽ Caſimirum in Romano ſeceſſu regno comebat

Quis credat? dum regna fugis, diademata calcas,
Te magis Imperijs aptabant aſtra futuris.
Nam quos virtutum theſauros congeris! ingens

Cultu omniũ virtutum.

Subſidium regnaturis; mentique capaci
Vt totum infundis ſecreta per otia Cælum!
Interea ad patrios latè diffuſa Triones

Deſideriũ Poloniæ erga abſentem.

Fama Tui, ſine Te, redijt; tunc patria tellus

Acrius

Acriùs amisſi CASIMIRI exarſit amore.
Illa ne maieſtas generoſæ frontis, & oris
Auguſti decor, ille oculis vibrantibus ardor
Martius, externa tectus regione latebit?
Is pudor, & probitas, candor, mens conſcia recti
Sarmatiæ erepti, Latium, Romamque beabunt?
Non ita. Pontifices precibus Regalibus vrget
Frater, ne rapiant ſolijs altaria Reges.
Nobile certamen! quis tam pugnauit, vt iret
In Regnum, vt Tu pugnaſti ne ad Regna redires?
Priuatum, vt decuit, vicerunt publica vota.
Eripuit Vaticani Te purpura pannis;
Eripuit Vaticano mox purpura Regni.
O amor Italiæ quondam, lux inclyta Romæ,
Nunc decus Europæ, fulgor, terrorque trionum;
Quæ Te cũque tenet regio, aut (Rex magne) tenebit,
Seu mucrone Scythas coges vltore, cruoris
Sarmatici pœnas dare, ſeu captiua repoſces
Agmina, & infido ſua nectes vincula Thraci:
Patria, ſeu fortes reuocas ad frœna Suecos:
Quidquid ages, plures texunt nam ſidera laurus:
Viue memor noſtri; quos Tu dignatus amanti es
Hoſpitio quondam, vt ſiluas dignatur Apollo,
Lucem Orbis, centone tegens. Nunc, qualis Olympo
Dum vehit ille diem, meliori luce receſſum
Teſſaliæ, Amphriſumq; beat: ſic Tu quoque mundo
Sarmatico impoſitus, Regali e culmine, nutu
Nos dignare Tuo. Certè Tua Regia noſtris

Regis Vladiſlai rogatu abſtinetur ſacerdotio.

Admouetur Romanæ purpuræ.

Regno.

Amor & obſequium Romanę Societatis in Regem, Hoſpitē quondam ſuum, vt Apollinem in teſſalia latuiſſe fabulantur.

N Pe-

Digitized by Google

Pollicemur æternitatem memoriæ, & gratiſſimum in corde domicilium.

Pectoribus fixa eſt, æternaque viuit imago;
Quam circum memorũ vigil excubat ignis Amorũ.

Fauſta omnia precamur cũ in pace tum in bello.

Sis felix: ſeu bella ferant, ſeu ſecula pacem,
Omnes præbebit Diuos Tibi Roma fauentes:
Vincemus votis, quos oppugnaueris armis.

FINIS.

Digitized by Google